



Nr. 24.

104

ACADEMIAE FRIDERICIANAE  
PRORECTOR  
**CHRISTIANVS BENE-  
DICTVS MICHAELIS,**  
S. THEOLOGIAE ET PHILOSOPHIAE PRO-  
FESSOR ORDINARIVS,  
VNA CVM  
**CANCELLARIO, DIRECTORE,  
SENIORE**  
ET  
**RELIQVIS PROFESSORIBVS,**  
MAGNUM PIETATIS MYSTERIVM,  
**DEVM HOMINEM FACTVM,**  
IN MATERIAM  
**NATALITIAE**  
MEDITATIONIS  
PROPONIT,  
ET  
**CIVIBVS ACADEMICIS**  
HUMANISSIME COMMENDAT.  

---

*dd.*

HALAE MAGDEB.  
LITTERIS HENDELIANIS.



OT a DEO collata & tanta in humānum genūs beneficia sūnt, ORNATISSIMI CIVES, vt nec illorum metiri magnitudinem, nec numerum concipere mente possimus. Terra, qua nitimur, DEI est: aer, quem respiramus, cibus, quem capimus, doctrina, qua ad salutem erudimur, & quæ sola beat, mentis tranquillitas, larga DEI sunt dona; qui his longe præstantiora post huius viræ decursum nobis promisit. Sed vnum inter omnia beneficia NVMINIS ita eminent, vt reliqua aut ab hoc pendeant, aut cum hoc comparata vilescent, & nostris se oculis subducere videantur. DEVS homo est factus, vt nos redimeret. Quis maiorem voto benignitatem fingere potest, quis mentis cogitatione adsequi? Nisi adsiduitate quotidiana & consuetudine eurium lætæ huic doctrinæ adsuetus esset animus: obstupesceret sane, & sacro quodam nos horrore perfusi ad genua nati Seruatoris quotidie aduoluti largis lacrimis ea exosculari non desineremus. Si DEVS totius orbis donat thesauros, si æterna parat gaudia, donat magna; maiora promittit: minora tamen eorum auctore. CHRISTO nascente DEVS nobis ipse donatur, & qui auctor huius & futuræ est vitæ, is redditur noster. Ipse IESVS CHRISTVS, qui mirandam numquam mundi pulcritudinem, numquam fulgentem regum splendorem miratus est, incredibilem hancce admiratur NVMINIS largitatem. Adeo, adeo, \* inquit,

\* *Iohann. III. 16.*

Inquit, DEVS homines amauit, vt vnigenitum illis daret filium.

Cum ex nihilo DEVS conderet orbem, dum illum quotidie conseruat; miranda edit miracula: sed maius longe atque excelentius, cum filius adsumit humanum corpus. Ex nihilo aliquid fieri, facilius videtur, quam creatorem rem fieri creatam. Οὐολογεμένως, inquit Paulus, \* μέγα ἐστὶ τὸ τῆς ἐνσέβειας μυστήριον Θεός ἐφανερώθη ἐν σαρκὶ. Ex omnium consensu magnum est arcanum: DEVS adparuit in corpore. Arcanum omnino sumum est. DEVM adnumerari hominibus, dominum seruis: & illum, cuius numine orbis continentur compages, inbecillæ feminæ brachiis gestari. Miranda in primis ex incunabulis CHRISTI NVMINIS fulget sapientia, quæ conciliatorem inuenit & sibi, & hominibus conuenientem: qui homo hominum tueri partes, qui DEVS DEO infiniti valoris offerre posset victimam.

Angeli arcæ scederis impositi mirandam hanc DEI sapientiam mirari ac scrutari videntur. Intuebantur \*\* intentis oculis operculum conciliatoris nostri imaginem; ita vt adipicari hic optime possint, quæ Petrus \*\*\* dicit: quæ cupiunt ipsi angeli perspicere.

Beneficia vtilitate metiri solemus: quam si spectamus, vnum omnium maximum beneficium CHRISTI natalis largitur. Nostri natales vitam nobis concedunt, sed miseram satis ac mox finiendam. Opes multa suppeditant ad nutriendum corpus, ad animum reficiendum: sed nec illi immortalitatem, nec huic tranquillitatem largiri possunt veram ac perennem. Dignitas superbos delestat; sed suo illos deprimit onere. Pereunt omnia, & in summa miseria miserum in morte hominem relinquunt. Solius CHRISTI natalis, & concessæ per eum opes ac singularis dignitas beatam redditum hominum conditionem ac perpetuo felicem. Conciliatore dato cum DEO redimus in gratiam, ex hostibus amici & filii reddimur iure adoptionis. Quicumque, inquit Ioannes, \*\*\*\* eum ac-

\* I. Tim. III. 16. \*\* Exod. XXV. 29. \*\*\* I. Petr. I. 12.

\*\*\*\* Ioann. I. 12.

ceperunt, iis eam potestatem dedit, ut DEI filii fierent. Quantum æternitas læta aliquot annorum superat decades; quantum ab ipsa miseria felicitas distat: tantum natalis CHRISTI omnia a DÉO concessa antecellit, quæ non hoc natali nituntur.

In hoc enim quæ fundata sunt, Spiritus Sancti donatio, remissio peccatorum & reliqua, quum sint a nato adquisita conciliatore: tantum abeit, ut ei opponi queant, ut natalis eius potius adaugeant splendorem. En, clamat angelus, \* rem vobis nuntio lætissimam: vobis hodie natus est seruator, qui est CHRISTVS, dominus, in oppido Davidis. Rem sane omnium lætissimam angelus adnunciat: quid enim nato CHRISTO lætius potest cogitari? Seruator nobis natus est, qui ex æterna seruitute, ex perpetuis miseriis, in libertatem, in felicitatem nos vindicat.

Numquam satis prædicandam beneficij amplitudinem, quod DEVIS in natali CHRISTI in nos contulit, antiquissimis quibusque temporibus Christiani homines intellexerunt, & publicas illius nomine decreuerunt supplicationes.

Quo quidem tempore, & quo auctore, celebrari cœperit natalis CHRISTI, non patet. Constitutiones \*\* vulgo Apostolice dictæ, quæ sub Clementis nomine circumferuntur, Apostolis ipsis huius festi diei tribuere non dubitant originem: sed quem fugit, has Constitutiones spuriæ esse, nec vilam hac in re mereri fidem?

Guilielmus Caeus, \*\*\* diligentissimus sacrarum antiquitatum inter Anglos scrutator, vestigia saeculo II. iam huius solemnitatis sibi reperiisse videtur: sed vestigia nulla adparent; nec, ad quod Caeus pariter ac Hildebrandus \*\*\*\* prouocant Theophilii Cæsariensis, circa annum CXC. episcopi, testimonium, in litteris ipfius exstat, quamvis ex Hospiniano ex illis adducatur. \*\*\*\*\*

Anti-

---

\* *Luc. II. 10.*   \*\* *Libr. VIII. c. III.*   \*\*\* *Erstes Christenthum Part. I. c. VII. p. 159. edit. Lips.*   \*\*\*\* *de Diebus festis p. 19.*  
\*\*\*\*\* *Vid. Binghami origines a Cl. Grischouio Latine redditas Vol. IX. pag. 73.*

Antiquissimum potius natalis CHRISTI publice celebrati documentum tristis illa sub Diocletiano vexatio in vrbe Nicomedia est, cuius mentionem facit Nicephorus. "Cum natalis, \* inquit, CHRISTI festus adesset dies, & multitudo ætatis omnis, quæ CHRISTI nomine censetur, in templo natalem illum celebratura conuenisset: tyrannus - - - misit eo, qui templum clauderent, & ignem circumcirca accenderent. Aderat ibi præceptor, qui voce clariore promulgabat, vt, qui viuere vellet, ex templo, exiret, & in proxima Iouis arathura adoleret; alioqui nisi hoc fecisset, vna cum domo ipsa conflagraturus. Tum vero in templo, ipso quidam pro multitudine ea omni cum libertate insigni propriam respondit, & pulcherrimam eam edidit vocem: Omnes nos, Christiani sumus, vnum eumque solum, DEVVM ac regem credimus esse CHRISTVM, & ipsi, PATRIQUE eius, ac SPIRITU, SANCTO sacrificare, atque nos omnes vna offerre, facile parati, sumus. Vix hec ille dixerat; & ignis est accensus, qui in temporis veluti momento ecclesiam omnem complexus, illos omnes, viginti millium numerum explentes, in cinerem redegit." Diocletianus in sœc. III. & IV. confinio vixit, & Nicephorus ita hæc refert, vt gesta sœc. III. videantur. Insigne itaque hæc historia & antiquitatis in natali CHRISTI solemnium, & Christianorum constantiae monumentum est. Reicit quidem Nicephori fidem Ioann. Andr. Schmidii, \*\* & fateor, tot fabulas retulisse Nicephorum, vt Theologorum Plinius Io. Gerhardo \*\*\* audiat.

Sed cum natalem CHRISTI tunc temporis iam celebratum ex Chrysostomi mox adferendo testimonio pateat; pluraque eiusmodi crudelitatis exempla extant: ratio nulla est, cur in hac remittitum esse Nicephorum suspicemur. Lactantius \*\*\*\* combusti cum cœtu Christiano templi, & Eusebius \*\*\*\*\* totius urbis incendio cum incolis Christianis deletæ exempla adferunt.

\* Hist. Eccles. L. VII. c. VI. \*\* Hist. festor. Et dominic. p. 54.

\*\*\* Merh. Stud. Theol. p. 238. \*\*\*\* L. V. c. XI.

\*\*\*\*\* Libr. VIII. c. XI.

Sæculo IV. natalis CHRISTI publice celebrati testimonia pa-  
sim occurunt. Gregorii Nazianzeni, episcopi Constantinopoli-  
tani, & Basili Magni, Cæsareæ in Cappadocia eodem munere fun-  
cti supersunt orationes sacræ, in illam recitatæ solemnitatem. Vter-  
que circa annum CCCLXVIII. floruerunt. Ioann. Chrysostomus,  
episcop. Constantinopolitanus, circa annum CCCLXXXI. hunc  
diem vetustum esse \* dicit (παλαιὰν ἡ ἀρχαῖαν) & ab ipsa Thra-  
cia Gades vsque incolentibus celebrem. Augustinus quidem, qui  
ad finem sœc. IV. vixit, inter festos dies natalem CHRISTI non re-  
fert. “ Illa autem, \*\* inquit, quæ non scripta, sed tradita cu-  
stodimus, quæ quidem toto terrarum orbe obseruantur, dantur,  
intelligi, vel ab ipsis Apostolis, vel plenariis conciliis, quorum est,  
in ecclesia saluberrima auctoritas, commendata atque statuta reti-  
neri: sicuti quod DOMINI passio & resurrectio & ascensio in,  
cælum & aduentus de cælo SPIRITVS SANCTI anniversaria,  
celebrantur solemnitate. ” Cum idem autem Augustinus sequen-  
ti epistola respondeat ad quæstionem Ianuarii, cur anniversarius  
dies celebrandæ dominicæ passionis non ad eumdem redeat diem,  
sicut dies, quæ traditur natus seruator? patet, celebratum omni-  
no iam esse natalem CHRISTI; sed nondum inter vniuersalia to-  
tius orbis Christiani solemnis eum fuisse receptum.

Supplicationes itaque publicas in nati seruatoris honorem,  
quas Weynachten adpellamus, iam sœc. IV. decretas esse, luculen-  
ter euictum est: quæ quum illo iam tempore antiquæ Chrysosto-  
mo habitæ fuerint; prioribus sæculis originem debere, summo  
iure dicuntur.

Hoc primorum Christianorum laudabile institutum publica-  
deinde auctoritate a Iustino l. \*\*\* firmatum, & per tot sœculo-  
rum seriem nobis traditum a maioribus est: qui non minori, quam  
illi, religione nati CHRISTI celebrare debemus memoriam.

Non

\* Hom. XXXI. Tom. V. p. 417. edit. Frano. \*\* Ep. CXVIII. ad  
Ianuar. Tom. II. p. 115. \*\*\* Niceph. Hist. Eccl. Libr. XVII.  
c. XXVIII.

Non in externis quidem cærimonii Christiana constat religio; nec eas tamen respuit. DEVM pia mente colere, & datum ab illo conciliatorem tenerrimo amore ac læta fiducia amplecti, præcipuum est, quod DÉVS iubet. Quotidie ipsi gratiæ agendæ sunt; quotidie tam splendidi natalis recolenda memoria. Sed qui quotidie nati CHRISTI recordatur; qui inter priuatos parietes DEQ gratias agit: is certe nec publice suam dubitat declarare lætitiam, & DEVM in conuentibus laudando non vnum, sed plures, summa cum voluptate, dies consumit. Mirum in modum illius reficitur animus, cui, aliarum curarum libero, beneficiorum omnium maximum meditari licet. Mirum in modum illius augetur in clementissimum NVMEN amor, qui per aliquot dies suam ex CHRISTI incunabulis fulgentem intuetur felicitatem.

Immo publicas in natali CHRISTI supplicationes decernere, summa iubet necessitas.

Ea est mentis nostræ conditio, ut summorum beneficiorum facile obliuiscamur, aut non digne de iis cogitemus. Multi sunt, proh dolor, inter Christianos, qui de dato sibi seruatorē parum cogitant, & parum de sua ipsorum inde orta salute sunt solliciti. Hi ex somno & sopore solemnitatibus sunt excitandi. Adeunt templa, audiunt hymnos, percipiunt illam angeli vocem: enī magnam ego vobis nuntio lætitiam; Seruator vobis natus est. In memoriam reddit, quæ olim de seruatorē audierunt; reddit numquam satis prædicanda beneficij diuini præstantia. Contemplantur illud; commouentur: vt ipsi quoque tanta felicitate fruantur, insita quādam vi & naturali felicitatis ducti desiderio, optant.

Fortius diuina Spiritus Sancti trahuntur vi; natum supplices adorant regem; animum ei offerunt, ob peccata dolentem, gratissimum NVMINI donum.

Enī præclarum & saluberrimum supplicationum in natali CHRISTI decretarum finem! qui vt hisce diebus festis a vobis, ORNATISSIMI CIVES, in primis obtineatur, dignus est. Quem magis, quam VOS, vtile maiorum sequi decet institutum; salutem dato

dato conciliatore partam meditari, & nato obedire regi? cum  
spes futuri temporis, sapientiae studiosi & CHRISTI olim admini-  
straturi sitis populum. VOS, quælo, CARISSIMI, qui, spreta  
hucusque VESTRA ipsorum salute, seruatorem non agnouistis,  
nolite, omnem VOS exuisse humanitatem, & VOBISMET ipsis  
indixisse bellum, diutius videri! Animum attendite in templis ad  
lætissimum, qui VOBIS adfertur, nuntium! & SPIRITVS  
SANCTI, qui serio a VOBIS inuocandus est, adiuti auxilio,  
ad saniora consilia VESTRVMQVE officium redite!

Sapite, o reges, inquit Dauides \*! corrigimini, o terrarum  
gubernatores! seruite IEHOVAE cum timore, exultantes cum  
tremore! osculamini natum, ne, si indignetur, vestras res per-  
datis illius ira protinus incensa: cui felices quicumque confidunt.

VOS vero, OPTIMI CIVES, qui nato regi sacramentum  
iam pia mente dixistis, omnemque in illo spem ponitis & salutem  
VESTRAM, renouate in hoc seruatoris solemni natali studium,  
VESTRAM in colendo illo contëntionem! Lætitiam, quam inde  
capitis, summam testamini! & in piam adorandi NVMINIS so-  
ciatem trahite commilitones. Manet VOS ius filiorum DEI,  
VOS manet perennis beatitas & gloria. Quicumque eum acce-  
perunt, inquit Ioannes, \*\* iis eam potestatem dedit, vt filii DEI  
fierent. Quodsi autem filii DEI sumus; sumus etiam heredes  
heredes inquam DEI; CHRISTI autem coheredes, si modo si-  
mul patiamur, vt etiam simul gloriosi fiamus. \*\*\* Dabamus  
ipsis natalis CHRISTI solemnibus, anno cœlocccccxxxvi.

---

\* Pj. II. 10. 11. 12.    \*\* Cap. I. 12.    \*\*\* Rom. VIII. 7.



Ja 1586

ULB Halle  
001 508 687

3



VDN8

St

VDN7



104



E-S-E-M,

1d.

**Farbkarte #13****B.I.G.**

Blue      Cyan      Green      Yellow      Red      Magenta      White      3/Color  
Black

ACADEMIAE  
PROFESSOR  
CHRISTIANAE  
DICTVS  
S. THEOLOGIAE E  
FESSOR  
CANCELLAR  
SEN  
RELIQVIS P  
MAGNUM PIE  
DEVVM HOM  
IN N  
NATA  
MED  
PR  
CIVIBVS  
HUMANISSIM  
HALA  
LITTERIS